

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1879

1007

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

prio censu empta et in Illachirecha marcha mansas 6, quas ad Eburharttum comitem emerat, pro remedio suę animę fratribus ad annonam tradita sunt. et quendam vero curtem nominatum Chorcho, quem idem episcopus Rihuinus ad quendam Hugonem de Tettenuilare genitum prefati Humfridi avunculum acquisierat, fratribus pro remedio suę animę tradiderat. et ut credibilis maneat, familia ejusdem curtis Chorcho videlicet Balzo et ejus frater Disso cum ceteris comitantibus in longo tempore ibi in servitio manserant, usque dum potentes domini inde injuste detraxerant. silvam quoque nominatam Munilsaht, quam isdem episcopus Rihuinus de predicto Hugone suo censu conduxerat, fratribus ad annonam tradiderat. in vico autem Kippenheim curtem 1 et dimidiam partem æcclesię ejusdem vici et villulam Langisesuuilare de Hugone comite Hohenburc regnante prefatus Rihuinus episcopus conquisierat et fratribus tradiderat. sine his vero superius titulata, quę predictus episcopus Rihuinus proprio censu emerat, restant hæc sequentia, quę et alio diverso labore acquisita sancto Thomę tradiderat: hoc est Udenheim cum pertinente servitio et superiores Hugesbergen et inferiores Hugesbergen cum pertinente servitio, in Mollesheim marcha mansam 1 et in Muzzeca marca curtem 1 cum vineis subjacentibus, Gottennesuuilare cum pertinente servitio et in Argeresheim marca quicquid viniferi ruriferique ruris situm est et in Altbrunnun mansas 2. ad hæc vero quidam Argentinensis æcclesię episcopus nomine Ruodharttus¹ in Ekkiboldesheim marca curtem 1 et ecclesiam sanctę Aurelię virginis cum decimis et cum aliis servitiis et in Dungenisheim marcha et in Muzzeca marcha mansas 4 pro remedio suę animę fratribus sancti Thomę tradiderat in annonam. quidam Eburharttus clericus et heremita in predicta marcha Illechirecha mansas 2 et dimidiam pro remedio suę animę fratribus sancti Thomę penitus ad annonam tradiderat. de æcclesia autem sanctę Aurelię, quam tunc temporis Vvalzo presbiter vetulus rexit, prefatus Ruodhardus statuit episcopus, ut fratres sancti Thomę singulis perpetuo liter annis in vigilia sanctę Aurelię ibi vesperos celebrent et in die natalis ejus a presbitero æcclesię dimidium tritici accipiant modium et unum frisingum cum vini situlis duabus et quarta situlę parte claustralis mensurę. et hoc vinum non novum sed vetus esse debet^a.

Okt. 14. 15

Quemammodum quędam de superioribus memoratis de monasterio sancti Thomę injuste detracta sint, notum sit omnibus fidelibus ista legendo insequentibus. postquam Ruodharttus episcopus delinquendo contra gratiam imperatoris^b de honoris culmine segregatus paulo post venia usus in episcopatum redierat, ad revocationem cujusdam Guntrami militis Hugesuuilare et Caroldesbahe sibi suoque filio in beneficium prestiterat et in hodierno die de episcopo Ödone necnon Erkanbaldo episcopo² ad eandem similitudinem perstat detractum. insuper vero curtis nomine Corcho de eodem episcopo Ruodhardo injuste detractus est, quia — quemammodum

a) Der Passus von der ecclesia autem — debet ist von einer andern nicht viel spätern Hand eingetragen. Es folgt ein leerer Raum von der Breite einer Hand. b) Lücke von 10-15 Buchstaben.

¹ Ruthard Bischof von Straßburg, 939—950.

² Udo Bischof von Straßburg, 950—965; Erchenbald, 965—991.